



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Quæ virtutes magis conducunt ad acquirendu[m] paßionu[m] dominiu[m].
C. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

res, quod ad Iustitiam pertinet, tamen, quia tamò ali-
 qua virtus melior est, quando magis pertinet ad bonum
 multitudinis; Iustitia verò consistit in communicatio-
 nibus, quæ sunt ad alterum, Fortitudo autem in pericu-
 lu bellorum, quæ sustinentur pro salute communi; Tẽ-
 perantia autem moderatur solùm concupiscentias, &
 delectationes eorum, quæ pertinent ad ipsum hominem,
 idèd dua illa priores, sunt excellentiores, quia virtus ma-
 gis attenditur secundum rationem boni, quæ maior est
 in illis, quàm secundum rationem difficultatis, in quo exco-
 dit Temperantia. Meritò ergo S. Chrysostomus,
 ita commendat passionum dominium, & ad il-
 lud comparandum etiam seculares suos Audi-
 tores excitat sic: Non ita veneratione dignus est Im-
 perator in regio sedens solo, diademate redimitus, at que
 homo, qui rationem in solùm Dominatum, & virtutum
 passionum subiectam, & imperio, quod in illas exer-
 cet, tanquam splendido quodam reuinctum caput ha-
 beat diademate. Quid enim, queso, prodest purpurea ve-
 stis, & corona gemmata, quando passionum captiua
 fuerit anima? quod ex ista externâ libertate lucrum
 obuenit, quando id quod in nobis potissimum domina-
 tur, turpi ac miserabili subiacet seruituti? Nam quem-
 admodum cum febris ad interiora penetrat, & viscera
 omnia incendit, nihil nobis prodest, si superior corporis
 superficies nihil tale patiatur, ita dum nobis anima in-
 terioribus distrahitur passionibus, nihil exterius princi-
 patus inuat, ne ipsius quidem regij solij, cum anima
 violente admodum impetu à passionibus de throno re-
 gio deuoluitur, & vltro se submittat, eorumque rebel-
 les insulsius perimeat? Quod ne fiat, vndique Prophe-
 ta concurrunt, & Apostoli passiones nostras reprimunt,
 omnem appetitum rationis expertis seruitatem à nobis
 amandant, & multo augustiorem regno principatum
 nobis committunt.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Quæ virtutes magis conducunt ad acqui-
 rendum passionum Dominium?

Respondeo. Antequam ad hoc directè respon-
 deam, scire debent Tirones, virtutes, ob
 quas homo appellatur bonus, & laude dignus,
 esse duplices, alias infusas, alias acquisitas.
 Infusæ vocantur à Theologis illæ, quæ Deus
 hominibus, & in primâ eorum iustificatione, &
 postea in augmento illius, vna cum gratiâ iusti-
 ficante infundit, siue in receptione alicuius Sa-
 cramenti, siue dum eliciunt actum contritionis,
 vel amoris diuini, aut Martyrium subeunt. Hæ
 virtutes infusæ sunt præcipuæ tres, quæ vocan-
 tur Theologicæ: Fides, Spes, Charitas. Vocantur
 Theologicæ, seu diuinæ, quia actibus suis im-
 mediatè circa Deum versantur, & hominem
 Deo coniungunt citra medium: Fides, credendo
 illi, & in illum, Spes sperando in illo, Charitas
 eum diligendo.
 Præter has tres virtutes Theologicas, infun-

duntur etiam tunc à Deo aliæ virtutes, vti sunt
 quatuor, quæ vocantur Cardinales, Prudentia,
 Iustitia, Fortitudo, Temperantia; & aliæ com-
 munitè omnibus nota, Religio, Humilitas,
 Pœnitentia, Obedientia, Castitas, & similes, quæ
 infra enumerabo, & naturam singularum ex-
 plicabo breuiter.

Et hæc omnes virtutes tam Theologicæ, quàm
 aliæ, augentur in iustis, dum vel Sacramentum
 aliquod ritè suscipiunt, vel quoduis aliud opus
 bonum supernaturale faciunt, à quacunque
 tandem virtute illud procedat: per illud enim
 augentur omnes profus virtutes in iusto, etiã
 eæ, quæ habent actus suos essentialiter diuersos
 ab illo opere alterius virtutis.

Porro hæc virtutes infusæ, tam Theologicæ,
 quàm morales, tam diu duram in homine iusto,
 quam diu ab illo gratia sanctificans non exclu-
 ditur per aliquod peccatum mortale, quo vel
 vnico commisso, perdit homo gratiam Dei, &
 omnes virtutes infusas, solâ fide, & spe exceptâ,
 tanquam radicibus quibusdam à Deo relictis
 in peccatore, vt actus Fidei, & Spei eliciendi
 possit se Diuinæ gratiæ beneficio disponere ad
 pœnitentiam, & recuperare gratiam per pecca-
 tum mortale amissam. Manent tamen virtutes
 acquisitæ. Fidem verò, & Spem non amittit, nisi
 committat peccata mortalia Fidei & Spei con-
 traria.

Dilectionis radix est Charitas, inquit B. Lauren-
 tius Iustinianus: virtutes verò cetera spirituales rami
 esse noscuntur, in illâ tanquam in radice insertæ. Succide
 radicem, & repente rami, fructus excidentur, & fo-
 lia. Tolle de corde hominis iustificati charitatem, &
 infructuosa cetera efficiuntur virtutes, scilicet quoad
 meritum vitæ æternæ: Charitas autem vel est
 ipsa gratia iustificans, vt quidam putant, vel ve-
 rius, comes inseparabilis gratiæ iustificantis, quâ
 per peccatum sublatâ, etiam Charitas superna-
 turalis infusa aufertur.

Deinde sunt aliæ virtutes, quæ vocantur ac-
 quisitæ, quæ acquiruntur non tantum à iustis,
 sed etiam ab hæreticis, & ethnicis, & à Catholi-
 cis in peccato mortali existentibus. Acquirun-
 tur autem per actus similes, non omnès simul
 (vt acquiruntur infusæ, ob quemuis actum,
 Deo eas in homines iustos infundente) sed eæ
 tantum quæ sunt similes, & vniuocæ cû actibus
 illis. Exempli gratiâ: Humilitas acquiritur per
 actiones humiliationis, Patientia per actus pa-
 tientiæ, Sobrietatis, Temperantia, per actus So-
 brietatis & Temperantiæ, & sic omnes aliæ. Ac-
 ctus tamen virtutum acquisitarum ritè facti,
 disponunt ad augmentum infusarum, vt ait S.
 Thomas. Porro si iustus peccato mortali per-
 dat gratiam, & virtutes infusas, (quæ perdi tunc
 solent) non perdit tamen eas, quæ acquisiuit
 per actus similes & vniuocos. Tunc tamen eas
 perdit, vel inuit, quando exercet actus con-
 trarios directè acquisitis virtutibus: humilita-
 tem

1. 2. q. 11.
 a. 4. q. 63.
 a. 3.
 cap. 26.
 27. 28.
 1. 2. q. 63.
 a. 2. ad 2.
 & q. 65. a.
 3. & 4. &
 q. 71. a. 4.
 & q. 73. a.
 1. ad 2. Et
 2. 2. q. 24.
 a. 1. & 2.
 & q. 133.
 a. 1. ad 2.
 de trium-
 ph. Chri-
 sti agone
 cap. 14.
 201.
 1. 2. q. 63.
 a. 2. & 4.
 & q. 65. a.
 2.
 202.
 1. 2. q. 92.
 a. 1. ad 1.
 203.

tem per actus superbiae; patientiam per actus impatientiae, & sic alios per alios vitiorum contrarios actus.

204. 1.2. q. 53. a. 3. & 2. 2. q. 24. a. 10.

Aliqui dicunt cum S. Thoma, eas minui, & perdi, per solam cessationem ab exercitio virtutum acquiratarum, quando velut mortuæ in nobis manent, & suos actus non exercet. Quod etiam ibidem asserit de intellectualibus habitibus. Quod Tironibus diligenter notandum est, quia id graues Theologi constanter asseuerant. Fugiant ergo tepiditatem, quæ causâ esse solet, vt virtutes in tepidis sint sine frequentatione actuum illarum, & sic pereant, & veluti euanescant, sine aliâ contrarietate.

205. S. Th. 1. 2. q. 65. a. 3. ad 2. & 3. p. q. 89. a. 1.

Inter has virtutes acquiratas, & infusas, hæc inter alias est differentia (quantum ad propositum nostrum spectat) quod per infusas non domantur, nec frænantur immediatè passiones, nec difficultas in bene operando, quæ sentitur ex parte passionum & habituum prauorum, per actus prauos acquiratorum, per eas tollitur, vel minuitur; sed solæ virtutes acquiratæ morales hoc præstant, & quidem non omnes, sed eæ solùm, quæ in appetitu sensitiuo, & potentis eius, concupiscibili & irascibili, resident, seu inhaerent, tanquam habitus quidam, & qualitates permanentes in suis subiectis.

Quia tamen virtutes infusæ perficiunt anime potentias rationales, intellectum, & voluntatè, vt possint actus operari supernaturales ob supernaturalia motiua, illæ quoque adiuuant ad passionum dominationem duobus modis.

Primo, mouendo per imperium rationis & voluntatis potentias inferiores appetitus sensitiuus, vt feruentius suos actus, virtutes morales, eis inhaerentes, eliciant, & per actus sic elicitos, ac ad finem altiorem eleuatos, crescant, & motibus inordinatis passionum, si exurgant, validè resistendo, eos sensim comprimunt, & frænant, & auctâ vi eos reprimendi, per auctos habitus virtutum moralium (qui quouis actu etiam remisso in probabili sententiâ Theologorum augentur) faciunt, vt semper maior acquiratur ditio, & potestas supra passiones, & tandem perueniatur ad earum perfectum dominium, tale, quale supra descripsi.

cap. 13.

206. 3. p. q. 27. a. 3. S. Th. 1. 2. q. 57. a. 2. & q. 68. a. 7. Et 2. 2. q. 4. a. 8. & q. 47. a. 5.

Et hoc primo modo S. Thomas ait, per actum rationis, in viris sanctis ligari essentiam somitis, qui dicitur lex carnis, siue membrorum, vt ab omni inordinato motu prohibeatur. Vt enim ratio rectè iudicet, præter lumen naturale ipsi naturæ humanæ inditum, iuuant eæ, quæ sunt in intellectu, virtutes intellectuales, ei tanquam subiecto suo inhaerentes; (præter Fidem) tres speculatiuæ, Sapientia, intellectus, & scientia; duæ verò practicæ, prudentia, & ars cum suis adiunctis. Præter has sunt in voluntate aliæ virtutes, & Theologicæ, & morales: illæ sunt, Spes, Charitas; hæc sunt, iustitia, & aliæ infra explicandæ: quanquam, iustitia non est circa passiones, sed circa operationes volun-

1. 2. q. 56. a. 6.

tatis, eas ordinâs, vt docet cum Aristotele S. Thomas. Ar. lib. 4. eth. c. 6.

Præter hæc est in voluntate imperfecta virtus (quam Aristoteles negat esse virtutem, scilicet perfectam) Continentia, per quam firmatur ratio contra passiones, ne ab eis deducatur: non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, secundum quam appetitus sensitiuus se rationi subditur, vt in eo non insurgant vehementes passiones rationi contraria, vt docet S. Thomas. Continentia enim importat resistentiâ rationis ad concupiscentias prauas vehementes, per quas appetitus sensitiuus vehementer rationi resistit, vt idem S. Thomas ait.

Dixi supra, prudentiam esse in intellectu cû suis adiunctis: quia iuxta Aristotelem, & S. Thomam, Prudentia, virtuti præceptiuæ, tres aliæ virtutes adiunguntur, tanquam secundariæ: Eubulia, quæ est bene consiliatiua; & Synesis, ac Gnome, quæ sunt partes iudicatiuæ. Synesis est iudicatiua de agendis secundum communem legem: Gnome autem secundum ipsam rationem naturalem in his, in quibus deficit lex communis. Quod S. Doctor plenius alibi explicat.

Secundo modo virtutes infusæ concurrunt ad domandas passiones per suos actus similes quoad nomina, motibus seu actibus passionum, quia se adiungendo suis actibus, faciunt, vt homo validiùs operetur aditus, & ab habitibus, qui sunt in intellectu & voluntate, & ab aliis, qui sunt in solâ potentia concupiscibili & irascibili, quos excitant.

Porro inter omnes virtutes infusas, maximâ vim habet Charitas. Est enim, vt ait B. Laurentius Iustinianus, Christi gladius celestis, qui carnis animæq; confederationem noxiam (per indomitas passiones initam) diuidit, & emollit, rixas (mortificando inordinatos affectus) commouet, & pacificos perturbat hostes. Pugnare facit, vt virtutis trophæum reportet Spiritus, atque naturalem carnis sibi vendicat dominatum: qui nil aliud est, quam dominium passionum carni nostræ insitarum, in potentis eius sensitiuus, irascibili & concupiscibili.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Cum passionum dominium raro concedatur, an non sit presumpcio, velle illud assequi?

Respondeo non esse præsumptionem has ob causas.

Primo, quia Deus vult, vt simus imitatores eius, & vt simus perfecti, sicut ipse perfectus est. Hoc autem nos assequi per passionum dominium docet S. Ambrosius, ponderans illa Dei verba Moyfi dicta: Posui te Deum Pharaoni: Etenim, inquit, victor passionum omnium, nec vllis capus seculi illecebris, qui omnem istam secundam corpus habitationem, celestis puritate conuersationis obduxerat mentem regens, carnem subiiciens, & regiâ quadam